ACTA PROVINCIALIS CONCILII CAPVANI.

ROMAE
Apud heredes Antonij Bladi Impreſſores Camerales.
M D L X I X

NICOLAVS CAETANVS

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA S. R. E. TIT. S. EVSTACHII


Presbyter Cardinalis de Sermoneta nuncupatus & Archiepiſcopus Capuanus &c. Omnibus Prouinciȩ noſtrȩ fidelibus ſalutem in Domino.





Anctiſsime, & prudentiſsime, vt alia omnia, ſtatuerunt Patres in Concilio Tridentino, vt vetus illa crebro cogendarum Synodorũ prouincialium conſuetudo, quȩ, plerique in locis iampridem obſoleuerat, & referretur, ac renouaretur primo quoque tempore, & deinceps attente, ac diligenter retineretur. Nam vt in corporibus, ita in moribus noſtris, multa quotidie vitioſa gignuntur; quȩ niſi ſȩpe purgentur, ab exiguis profecta principijs, temporis progreſſu, incredibile dictu eſt, quantas inferant calamitates. Vtile igitur eſt, ea, cum primum efferrȩ ſe, ac ſuccreſcere incipiunt, coerceri, ac comprimi, neque expectari vſque eo dum vetuſtate robuſtiora fiant. Id facillime, ac cõmodiſſime eiuſmodi Synodis videtur effici poſſe: in quibus & cõmuni diligentia, ac ſtudio inquiritur in ea omnia, quæ in quaque Prouincia deflectunt, ac degenerant a recta Chriſtianȩ

diſciplinę regula, & Deus ipſe, ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus communibus votis vocatus lucem pręfert animis noſtrıs ad reperienda, capiendaq́; ſalutaria conſilia, & ad ineundam rationẽ, qua, quę deprauata ſunt, corrigantur. Hoc nos quidem animo, atque hac ſpe freti, omnes Capuanæ noſtrę Prouincię Epiſcopos, ceteroſq́;, quibus in eius generis conuentibus ſententię dictio eſt, haud ita pridem conuocauimus, eoſq́; quantum in nobis fuit, adhortati, atque obteſtati, vt Dei, & muneris ſui memores, in commune conſulerent, omniaq́; proferrent, quæ Deo grata, & publice vtilia fore cenſerent, de illorum conſilio ac conſenſu decreuimus, ac ſtatuimus hæc, quę nunc, ne quis ea ſibi incognita eſſe cauſetur, atque in culpa hoc perfugium habeat, publicamus. Obſecramus autem vos per ea, quę omnibus hominibus pręcipua eſſe debent, Dei gloriam, & animorum veſtrornm ſalutem, vt ea & ſuſcipiatis libenter, & diligenter obſeruare ſtudeatis. Cogitate quanto laborioſior vita ſit eorum, qui vitijs, quàm eorum, qui legibus ſeruiunt. Simul illud conſiderate, in his violandis, non tàm noſtram auctoritatem contemni, quàm illius, a quo dictum eſt, Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Deus Optimus Maximus immittat, inſpiretq́; vobis omnibus eam mentem, vt veſtræ potius in obtemperando modeſtię laus tribuenda ſit, quam pœnæ a quoquam ob contumaciam exigendæ. Valete in Domino.



ACTA PROVINCIALIS CONCILII CAPVANI.

IN NOMINE PATRIS ET FILII & Spiritus ſancti. Amen.



NOS Nicolaus Caetanus Dei & apoſtolicę Sedis gratia S. R. E. tituli Sancti Euſtachij presbyter Cardinalis, & Archiepiſcopus Capuanus, de conſilio, & aſſenſu Reuerendiſsimorum dominorum Coepiſcoporum noſtrorum, qui noſtro mandatu ad laudem, & gloriam Dei in hanc prouincialem Synodum conuenerunt, hęc ſtatuimus, & ſancimus.

DE MVNERE EPISCOPORVM.

PRimum vt, quod ipſi fecimus, idem etiam Reuerendiſsimi fratres, ac coepiſcopi noſtri faciant; ideſt, vt in eis, quę poſthac cogentur dioeceſanis Synodis, omnia, & ſingula, quę a ſacro Tridentino Concilio definita, & conſtituta ſunt, publice ſuſcipiant, Summo Rom. Pont. veram, ac perpetuam obedientiam ſpondeant, omnes hęreſes deteſtentur, & anathematizent, fidem catholicam profiteantur, ita vt inſtitutum eſt ab eodem ſacro Concilio Tridentino, & ijs ipſis verbis, quibus concepta eſt formula a ſanctę me. Pio iiij. Pont. Maximo publice pręſcripta, eademq; omnia exigant ab ijs, qui cuiuſcunque generis dignitates,

aut beneficia ęcclesiastica in Prouincia nostra obtinent, aut obtinebunt.

Ioan.4. Ioan.13. Tum, vt quoniam Deus caritas est: eamq; quasi propriam notam esse voluit Christus, qua sui a ceteris internoscerentur, si se mutuo amarent, omne studium, omnemq; auctoritatem suam conferant, ad tollendas, componendasq; si quę sunt, tam inter ecclesiasticas, quã inter sęculares personas omnes controuersias, ac dissensiones, & ad vniuersum populum Dei sancto pacis & caritatis vinculo deuinciendũ.

Prouideant, vt sacramenta omnia, pro dignitate honorifice, & cum veneratione administrentur.

Ordines sacros dignis tantum personis conferant, neque quidquam vllo modo, pro eorum collatione, aut exigant, aut accipiant.

Ad Timot.3. Ipsi se eos esse meminerint, quos Apostolus nulli omnino reprehẽsioni obnoxios esse oportere pronuntiat. Ideoq; vitam, moresq; suos ad sacros apostolicos canones, imprimisq; ad pręcepta sacri Concilii Tridentini, quanto maximo studio poterunt, omni ex parte conforment.

In eos seuere animaduertant, qui sacrorum librorum, aut verbis, aut sententijs nefario, ac temerario ausu, ad iocum, contumeliam, assentationem, superstitionem, impietatem, & vno verbo ad quoscunque profanos vsus abutuntur.

Diuini verbi contionatores eos eligant, & habeant, qui in ecclesijs suis, sacram scripturam, legem Dei, apostolicas, & ecclesiasticas traditiones, omissis inutilibus, ac superuacaneis quęstionibus, ac disputationibus, & frequenter aliàs, & statutis temporibus quotidie populo exponant: sed & ipsi Episcopi idem illud munus per se obeant, & verbo Dei commissum sibi populum pascant.

DE BAPTISMO.

AC quoniam Baptiſmus aliorum omnium ſacramentorum ianua eſt, per quem homines renaſcuntur,& ad Chriſti Eccleſiam aggregantur: ideo ab ipſo potiſſimũ exordientes mandamus, vt in poſterum nõ niſi in Eccleſijs & ſacrarijs,quę prope fontes baptiſmales honorifice in eũ vſum extruentur, pręterquam in caſu neceſſitatis,alioúe ali quo ſpeciali caſu, de quo Ordinarij, aut eius Vicarij notio erit, adminiſtretur, ac conferatur.

Prohibemns Parochis,ne ſalem benedictum, neúe aquã Baptiſmi ſęcularibus,alijſue concedant.Si ſecus faxint,vigintiquinque ſcutatorum pœna multabuntur.

Si quando contigerit, aut domi, aut vbicunque extra eccleſiam quempiam baptizari, Vas illud, in quod effundetur aqua baptiſmi,numquam poſtea profanis vſibus ſeruire fas eſto.

Infantulos intra octauũ,poſteaquã nati erunt,diem, baptizari iubemus. Si parentum culpa ſecus factum erit, ab eis eadem illa vigintiquinque ſcutatorum pœna, in pios vſus ordinarij arbitrio conuertenda,exigetur.

Habeãt Parochi librũ,in quo baptizati parentũ,cõpatrũ nomina, & cognomina, diemq; natalẽ infantis, & quo die baptizatus, & ex legitimo matrimonio natus ſit, an ſecus,ꝑ ſcribãt:& ex Tridẽtini Cõcilij decreto vnũ tantũ vel vnã,vel ad ſummũ vnũ,& vnam ad tenendum infantem admittant.

Habeant item album,& decorum linteum pro veſte candida,quam albam vocant,baptizatis tradenda.Idq; ſemper ad hunc tantum vſum conſeruent,& bombyce,non albulis ad Oleum ſanctum, & Chriſma tergendum,utantur.

Caueant,ne dum baptizant,Oleum ſanctũ,aut Chriſma aut in ore,aut in fronte infantium ponant,neúe vllo modo ijs abutantur, ſed prius pectus, & humeros tantum oleo ſancto, deinde Chriſmate ſolum verticem liniãt ad eam formam,quę a ſancta Romana Eccleſia conſtituta eſt, quã ſinguli Epiſcopi,ſingulis Parochis ſuis exhibeant,obſeruariq; mandent, reiectis omnibus ſuperſtitioſis obſeruationibus loci,& temporis,atque omni alia ſuperſtitione eorum arbitrio corrigenda.

Vetamus,ne quis Parochus,aliuſúe Sacerdos vſquã alibi baptizet,quàm in ſua Parochiali Eccleſia,pręterquàm in caſu neceſſitatis. Non obſtante quacunque quãlibet antiqua cõſuetudine in contrariũ obſeruata, ſub pœna vigintiquinque ſcutatorum auri,qui ordinarij arbitrio in pios vſus,vt ſupra dictum eſt, conuertantur.

Sicubi autem Parochiarum domus confuſę ſint, curent Epiſcopi, vt apte & commode diſtinguantur.

DE CONFIRMATIONE.

CONfirmationis ſacramentum minori ſeptem annis ne conferatur,neúe vllo pretextu iteretur.Si ſecus factum erit, a parentibus puerorum, & ab eis,qui ad eos tenendos adhibiti erunt, ſi modo id ſcientes fecerint, pœna decem vnciarum auri, in eoſdem vſus,qui ſupra dicti ſunt, conuertenda,exigetur.

Sacro Chriſmate confirmati ne aqua abluãtur,ſed bombyce, alioúe linteo albo commodiori in eum vſum deſtinato ſtatim in Eccleſia per aliquem Sacerdotem,cui id arbitratu ordinarij mandatum ſit, detergeantur.

DE

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

SAcramentum Euchariſtię ſuper pręcipuo Altari, decen tioriúe alio loco ab omnibus adorandum collocetur. Condatur autem in tabernaculo, quod auro puriſsimo illitum ſit intra pyxidem auream argenteamúe, aut certe intra capſulam argenteam Pyxide lignea aurata incluſam, ſubſtrato ſemper corporali, veloq; ſerico ſuper poſito, cuſtodiatur diligentiſsime, & ſaltem bis in menſe renouetur. Ardeat ante ipſum diu noctuq; lampas ſaltem vna. Si cuius negligentia horum quid omiſſum erit, in eum ordinarij, aut eius Vicarij arbitratu pœna ſtatuetur.

Cum ad ęgrotos deferendũ erit, cõuocetur populus campanę ſono ad illud venerationis cauſa proſequendum.

Deferat autem illud Sacerdos cotta, ſtola, vel etiam pluuiali indutus, intra calicem cum patena, palla, & corporali, pręeuntibus luminibus, & tintinnabulo, quàm poterit honorificentiſsime, eodemq; ritu referat ad eccleſiã, prouideatq;, vt ſemper vna ſaltem ſacrę Euchariſtię particula in Eccleſia maneat, itidemq; vna in calice, quem ipſe ſecum referet, vt ſit, quod populus adoret.

Neque pręb eatur alibi quàm in Eccleſia, pręterquam exigente neceſſitate, pręſertim die Paſchę, niſi ob aliquã probabilẽ cauſam, aliquo ſpeciali caſu aliter ordinario viſum ſit.

Miſſa in Eccleſia tantum celebretur: nullo autem modo cõcedatur eius celebratio in priuatis ędibus, niſi in quibus decora ſint Oratoria, vel Capellę, per ordinarium ipſum viſitandę, & approbandę.

In miſſis, quas nouas vocant, ludos, choreas, obſcœnaq;, & ſumptuoſa cõuiuia omnino prohibemus, & interdicim⁹.

Inter

Inter Missarum sollemnia in ecclesijs ordinario subditis a sęcularibus regularibus, clericis, laicis, confratribus, cete-risq; omnibus stipem colligi, aut eleemosynas per Ecclesi-am peti vetamus. Ne tum quidem cum sacrę contiones ha-bebuntur, nisi si quas forte eiusmodi personas specialiter populo contionator ipse commendet.

Dum sacra fiunt, aut officia celebrantur, laici in sedibus ad canonicorum, aut regularium vsum destinatis ne se-deant.

Canonici ceteriq; omnes clerici toto eo tempore ne se-des absque necessitate cõmutent, neúe a choro discedant, aut inter se colloquantur, sed toti sint in rem diuinam, & animo & corpore intenti. Qui secus fecerint, ordinarij aut eius Vicarij arbitratu punientur.

Vt autem hęc omnia seruentur, ordinarius, aut eius Vi-carius, aut eo absente, qui ex prę sentibus in maiori dignita-te constitutus erit, aut ceteris antiquior canonicus, curet.

Nemo neque clericus, neque laicus in Ecclesia vllo tem-pore deambulare, aut turpes inanesúe sermones conferre audeat. Domus enim Domini non deambulationis, aut confabulationis, sed orationis domus est. Qui aduersus hoc edictum venerit, pœnę nomine decem scutatos pijs vsibus applicandos exigetur.

In atrijs porticibusúe Ecclesiarum mensas ne ponant, qui panes dulciarios, bellaria, aut alias quascunque merces ve nales habent. Neúe ibi mercaturę vllius generis exerceãtur. Nemo ibi, aut pila, aut alio quouis modo ludat. Nemo profanũ quidquam, & inhonestum agat. Qui contrafecerit, in singula facta, singulas auri vncias in pios vsus arbitratu ordi narij conuertendas, dare damnas esto.

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

PArochi, ceteriq́;, quibus cõfeſſiones audiẽdi ius eſt, in ſubſellijs in Eccleſia ad eum vſum extructis, cũ opportuna aſſiduitate, benigne, ac patienter cõfeſſiones audiant: nullam prorſus ex eo mercedem aucupantes. Quod & de ceteris omnibus ſacramentis pręceptum volumus, vt ea videlicet omnino gratis adminiſtrentur. Qui ſecus faxit, ei a ſacrorum adminiſtratione ad tempus ordinarij arbitrio interdicetur.

Caueant, qui cõfeſſiones audiunt, ne pœnas pecuniarias, ex quibus ipſi cõmodum capiant, cõfitentibus imponant. Non enim lucro ſuo: ſed animarũ ſaluti ſtudere debent.

Vna omnes atque eadẽ abſolutionis formula vtãtur, quę in Sacerdotali perſcripta eſt: Nempe hac: Si teneris aliquo vinculo excõmunicationis &c. Miſereatur &c. Dñs noſter Ieſus Chriſtus &c. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti &c.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

CVrati Oleum infirmorum, ſtola, & cotta induti, nõ in ampullis cum Chriſmate, & Oleo ſancto, ſed in vaſculo ſtãneo ſeiuncto bombyci infuſum, & in decenti pyxide reconditum cum vno ſaltem lumine, & cruce per clericum delatis, & velo aliquo decenti ſuper ipſam pyxidem obtento, ad infirmos, quanta maxima poterunt mentis puritate orantes, deferant.

Claues omnes ſacramentorum omnium ſub cuſtodia curati, & non alterius conſeruentur.

Caueant Sacerdotes curati alijq́; tum clerici tum laici, ne

ſub

ſub ſpecie pietatis vllo modo abutantur ijs, quæ dicta ſunt ſacramentis: ac presbyteri, ne laicis alijsúe quibuſcunque perſonis ſacrilege ſacramenta ipſa concedant. Si quid contra factũ erit, laici quidem vigintiquinque ducatis aureis in pios vſus arbitratu ordinarij conuertendis multabuntur, Clerici vero & eandem illam pœnam ſufferent: & prçterea quçcunque beneficia obtinebunt: ijs exuentur, ea lege vt neque illa, neque vlla alia in poſterum obtinere poſſint.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

ORdinarij idoneos homines deligant ex decreto Concilij Tridentini, a quibus ij qui ad ſacros ordines promoueri volent, itemq; presbyteri, quibus animarum cura committenda erit, prius diligenter examinentur.

Monemus inſuper eoſdem fratres, & Coepiſcopos noſtros, vt ijs demum ordines tum minores tum maiores conferant, qui & ex legitimo matrimonio editi ſint, & pietate moribus, literarum ſcientia idonei, ex prçſcripto eiuſdem ſacri Concilij Tridentini.

Clerici autem ipſi cum ad ſacros ordines promoti, aut aliquo beneficio ornati erunt, horas canonicas ne omittãt.

Hortentur etiã ordinarij eos, qui aut in ſacris conſtituti, aut beneficio aliquo ornati erunt, vt ſaltem ſemel in menſe peccata ſua confiteantur proprio Sacerdoti, ſumantq; ſacroſanctam Communionem.

SEMINARIVM, ita vti conſtitutũ eſt a ſacro Concilio Tridentino ſeſſ.xxiij.cap.18. Singuli ordinarij pro modo facultatum omnino conſtituant: quod & nos ipſi dante Dño, facturi ſumus. Quod ſi qui Epiſcopatus ita tenues reditus habeant, vt Seminarium in eis erigi non queat: Nos, adhibitis

tis duobus antiquioribus Coepiſcopis noſtris in aliqua Ecclesia commodiore vnum,aut plura Seminaria, prout expedire videbitur, ex fructibus duarum pluriumúe eccleſiarũ, ex ijs, in quibus ſingulis Seminarium commode inſtitui nõ poteſt, erigendum curabimus, vbi pueri illarum Eccleſiarũ educentur.

Clerici, qui minores ordines, aut etiam primam tantum tonſuram acceperint,niſi in habitu, & tonſura inceſſerint, & alicui Eccleſię de ordinarij mãdato vere inſeruierint, aut in Seminario, aliaúe aliqua ſchola, vbi bonis & litteris, & moribus informentur, manſerint, eccleſiaſticis priuilegijs ne gaudeant.

Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, quiúe aliquod beneficium obtinent,in habitu,& congrua tonſura incedant. Ni fecerint, poſt primam admonitionem fructibus vnius anni priuentur,vel alia pecuniaria pœna pijs vſibus ordinarij arbitrio applicanda puniantur.Quod ſi contumaces eſſe perrexerint,aduerſuseos quidem,qui beneficia obtinent,ad priuationem beneficiorum, & priuilegiorum, ſi in ſacris non fuerint, procedi poſſit. Sin autem in ſacris fuerint, aut beneficia non obtinuerint, pœna carceris, vel pecuniaria aliaue arbitratu Ordinarij puniantur.

Omnes, cuiuſuis ordinis, ſtatus, gradus,ac conditionis, qui aut iure,aut conſuetudine facultatẽ habent conferendi beneficia non curata,ſaltem infra ſex menſes a die vacationis, eis de perſonis idoneis prouidere teneantur.Quo tempore elapſo,& nulla prouiſione canonicè facta ad Ordinarium loci iuxta formam ſacrorum Canonum pro vice illa collatio deferatur.Quod ſi is qui defecerit,epiſcopus fuerit, collatio eodem modo ad Metropolitanum, & demum ad

B Sedem

Sedem apostolicam deuoluatur. Quod vero attinet ad collationem, & deuolutionem beneficiorum curatorum, seu Parochialium, ea omnia obseruentur, quę continentur in Bul la Sanctiss. Domini nostri Pij Quinti.

Beneficia vero non curata, quę nunc vacant, neque in huncvsque diem collata sunt, moneantur, qui potestatem cõferendi habent, vt intra tres mẽses a die monitionis, legitime illa cõferre debeant, quibus elapsis, si eis canonice prouisum nõ sit, ab ordinario loci libere conferantur. Qui si & ipse negligens fuerit, collatio ad Metropolitanũ, ac demum ad Sedem apostolicã, ita vti iure constitutũ est, deuoluatur.

Ad fraudes, & simulatas collationes tollendas, statuimus, vt cuicunque de beneficio aliquo prouisum fuerit ab inferioribus ordinario, teneatur intra mensem a die prouisionis Bullam expeditam collationis, seu alterius prouisionis factę ordinario ostendere. Quod ni fecerit, prouisio inanis, & irrita habeatur. Liceatq; ordinario tunc libere conferre, & beneficio ipsi, tanquam iterum vacanti, prouidere.

Curent Episcopi, vt qui beneficia sine cura obtinent, aliquando ibi missas celebrent, aut celebrari faciant, pro ratione redituũ, quos ex his percipiũt, dũ ne fundatio obstet.

Beneficia diruta, quæ reparari non possunt, in ecclesias matrices, vel alias ex præscripto sacri Tridentini Concilij transferantur.

Iubemus, vt quicunque ex bonis ecclesiasticis alienatis collectas quascunque pecuniarum summas detinent, per ordinarium cogantur bona stabilia ijsdem pecunijs emere pro eisdem ecclesijs.

Qui habent ius præsentandi ad beneficia, videant, vt ex præscripto sacri Tridentini Concilij præsentent.

In

In collationibus beneficiorum nihil accipiatur, nisi pro ſcriptura. Quantum autem accipi pro ea debeat Ordinarij notio eſto: ita tamen vt ne excedat ſummam decem carlenorum.

In viſitatione obſeruentur, quę decreta ſunt a ſacra Synodo Tridentina.

Vaſa ſacra, Veſtes ſacrę, & omnis ſacra ſupellex a quocunque, cuiuſcunque ſumptibus facta ſit, & vbicunque reperiatur: vſui eccleſiæ arbitratu Ordinarij applicetur. Non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium forſitan obſeruata. Hoc ſi quis impedire conabitur, hoc ipſo ſtatim in pœnam excōmunicationis incidiſſe intelligatur.

Adhibeant Epiſcopi curam ad recuperanda omnia bona eccleſiaſtica alienata, quoquomodo ab alijs occupentur; ſalua tamen deputatione iudicum, quæ infra ponetur.

Feneſtras omnes per quas in eccleſiam proſpectus eſt, quamprimum tollendas curent, illarumq; vſum modis omnibus interdicant.

Iubemus inſuper, vt quilibet beneficiatus clericus Ordinario ſuo id poſtulante Bullam prouiſionis, ſeu collationis beneficij ſui intra menſem a die poſtulationis perſonaliter factæ oſtendere teneatur. Quod ni fecerit, Ordinarius ipſe ei beneficio tanquam vacanti, prouidere poſſit, dum tamen ius conferendi ad ipſum pertineat.

Volumus etiam, vt quilibet beneficiatus Ordinario iubente inuentarium omnium bonorum ſtabilium, & redituum beneficij ſui in manibus Ordinarij, vel eius Vicarij tradere teneatur intra menſem inchoandum vt ſupra dictum eſt, qui ſi contumax fuerit, decem ducatorum pœna multetur Ordinarii arbitrio piis vſibus applicandorum.

DE MATRIMONIO.

CVrent Ordinarij, vt decretum ſacri Concilij Tridentini de Matrimonijs contrahendis,& publicandis diligenter a Curatis obſeruetur. Qui vt ab eodem Concilio conſtitutum eſt,libellum penes ſe habeant,& diligenter ſeruent, in quo proſcribantur nomina, & cognomina viri, vxoris, teſtium, ac dies, & locus.

DE RECTORIBVS CVRAM ANIMARVM EXERCERE DEBENTIBVS INSTITVENDIS.

CVm ſancta Mater Eccleſia ſingulis Eccleſijs parochialibus,quoad eius fieri potuit,ſemper ſingulos Paſtores proprios & perpetuos pręficere conſueuerit, propterea certum Capellanorum, genus qui ita quibuſdam Eccleſijs prępponi ſolebant,vt ad nutum Capituli,vniuerſitatis, Abbatię,Monaſterij,Cōfraternitatis,vel alterius cuiuſcunque perſonę amoueri poſſent,tollendum omnino eſſe decernimus, & iam nunc tollimus.Mandantes omnibus & ſingulis, ad quos eiuſmodi inſtitutio pertinebat, vt intra tres menſes proximos ab vltimo huius Synodi die, inſtituant idoneos Rectores, non qui ad eorum nutum amoueri poſſint, ſed perpetuos ad vitam: quibus Rectoribus,& eorum Eccleſijs ea portio aſſignetur,quę pręſcripta eſt in Bulla ſanctiſs. Domini noſtri PII .V. obſeruenturq; cetera, quę in eadem Bulla continentur.

Moneantur in pręſenti per ſingulos Epiſcopos,Rectores omnes Parochialium eccleſiarum ſibi ſubditarum, vt intra tempus eis ab ordinario pręfigendum, debeat quilibet ip-

ſorum

ſorum corā dicto Ordinario ſuo comparere ad reddendam probandamq́; cauſam,cur non teneantur facere ſe promoueri ad Presbyteratum,ſeu ad ſacros Ordines, inq́; ſuis Eccleſijs reſidere, atque ibidem exercere animarū curā. Quo tempore elapſo, ſi nihil attulerint pręter conſuetudinem quamlibet vetuſtam,nihil amplius ea excuſatio ipſis proſit. Sed ordinarij illico declarent,ſicut nos quoque pręſenti decreto declaramus,eos tamquam veros Parochos teneri ad ſuſcipiendos ſacros Ordines,& ad reſidendum,curamq; animarum perſonaliter in dictis Eccleſijs exercendam,ac ſacris Canonibus,ſtatutoq́; Tridentini Concilij ſub decreto de reformatione cap. 1. Seſſ.23 & omnibus alijs decretis, quę de Parochis loquūtur,ſubditos eſſe, eisq́; teneri qualibet quālibet longa conſuetudine,ſeu potius corruptela non obſtāte. Capellanos autem earumdem Parochialium Eccleſiarū nō curatos, ſed ipſius Curati Rectoris adiutores eſſe debere: ſi tamen prius ab ordinarijs examinati,reperti fuerint habiles ad eum in exercenda animarum cura adiuuandum.

Curent pręterea Ordinarij, vt Eccleſię dirutę, vel quę reditus nimiū exiles habent,quibusue paruus animarum numerus ſubditus eſt,arbitratu,& conſilio ipſorum quā commodiſsime fieri poterit,vniātur,& ſi opus fuerit, domus parochiarum, ſi quę ſint nimium a Parochia ſua diſtantes, de conſenſu Parochi ſui proprii, & Parochianorum propinquiori Parochię adſcribantur arbitrio ordinarii.

Statuimus etiam, & declaramus eos eſſe cuiuſq́; Parochialis Eccleſię veros,ac proprios Parochianos,qui domos intra eius terminos ſitas incolunt. Non autem ſi in aliam Parochiam habitandi cauſa commigrarunt.

DE

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

OMnes clerici beneficiati,aut in ſacris conſtituti abſtineant alea,taxillis, alijſq; ludis prohibitis. Qui ſecus fecerit, vna auri vncia pijs vſibus arbitratu ordinarij applicanda in ſingula facta multabitur.

Nulli clerico,etiam in minoribus ordinibus conſtituto, aut prima tantũ tonſura inſignito, cuiuſcunque ſit gradus, ſtatus, ordinis, conditionis, dignitatis,liceat in Prouincia noſtra arma ferre vllius generis,neque ad offenſionem, neque ad defenſionem, neque per Ciuitatem, aut Caſtra, & villas pro vſu ſuo per alium,ſeu famulum,ſeu Comitem deferri facere, alioquin exigentur ab eo pœnę nomine ducati aurei decem,ſi interdiu id fecerit:ſi noctu,viginti. At ſi ſclopettũ deferre auſus ſit,multabitur quattuor vncijs auri conuertendis (vt ſupra dictum eſt) in pios vſus, & pœnam carceris per annum vnum ſuſtinebit.

Clericus, qui armis alium percuſſerit,ſiquidem ſine ſanguinis effuſione,vigintiquinque ducatis aureis multabitur, Sin cum effuſione ſanguinis, duplicabitur pœna cõuertenda in eoſdem vſus pios, & præterea vulnerato quanti interit,pręſtare cogetur.

Clericus,cuiuſcunque ſtatus, gradus,dignitatis, & conditionis ſit, ſi (quod abſit) aliquem interfecerit, vel occidi mandauerit, procurauerit, conſenſerit, auxilium,conſiliũ, vel fauorem ante factũ,vel in facto ipſo pręſtiterit,vltra pœnas Canonum,pœnam amiſſionis omnium beneficiorum, & inhabilitatis ad eadem,vel alia impetranda incurrat, omniumq; penſionum, fructuum, & prouentuum pijs vſibus,

vt

vt ſupra dictum eſt, applicandorũ. Craſſatores autem ſi qui fuerint (quod Deus auertat) ſeuerius ex pręſcripto ſacrorum Canonum puniantur.

Noctu deambulantes clerici, aut in habitu ſęculari deprehenſi, decem ducatos aureos, aut quo plus, minusúe Ordinario videbitur, perſoluere cogentur pijs locis attribuendos.

Clerici mercaturam ne faciant, neúe alia ſęcularia negotia, quę quidem a iure clericis prohibita ſint, tractent. Qui ſecus fecerint, quinquagenis ducatis multabũtur in eoſdem illos vſus pios conuertendis.

Ne liceat clericis, quiquidẽ in ſacris cõſtituti ſint, mulieres cuiuſcũq; tandẽ ordinis ſint, manib⁹ apprehẽſas, humeriſúe innixas deducere. Qui fecerint arbitratu Ordinarij puniẽtur.

Et quoniam hominũ improbitate ſit, vt quibuſdã ex rebus, quibus pietas excitari ſolebat, hodie ſcandali ſumatur occaſio: ꝓhibem⁹, ne paſſio Redẽptoris noſtri, neúe diuorũ res geſtę vſquã in morẽ comœdiarũ, aut tragœdiarũ agãtur.

Adhibeãt Ordinarij curã, vt dies feſti religioſe, & a clericis, & à laicis obſeruẽtur, nec negotia in eis ꝓhibita exerceãtur, qua in re, qui deliquerint, ab ijs pœnas arbitratu ſuo exigãt.

Contiones noctu haberi nullo modo permittant.

Clerici, neque domi, neq; extra domũ cõcubinas, aliaſúe mulieres ſuſpecti pudoris detineant. Si fecerint, plectentur ijs pœnis, quę Tridentino Concilio conſtitutę ſunt: quod ipſum vt & a laicis obſeruetur, ordinarij curent.

Nullus in poſterũ duos Canonicatus, aut Parochialẽ vnã cũ Canonicatu, aut duas Parochiales, aut duo alia cuiuſcunque generis beneficia obtinere, ac retinere poſſit, & collatio ipſa in cõtrarium ab ordinario facta ipſo iure nulla ſit, niſi ſi quãdo ita tenuia eſſẽt beneficia, vt vnũ eorũ ad vitã eius, cui

cõferretur

conferretur ſuſtentandam non ſufficeret, tunc enim licebit aliud ſimplex eidem conferre, dum ne vtrumque perſonalem reſidentiam requirat.

At qui iam duas Parochiales obtinent, neque earum alteram ex præſcripto Concilij Tridentini intra ſpatium ſex menſium dimiſerunt, ſciant ſe in pęnam amiſſionis earum, & aliorum omnium beneficiorum ſuorum ipſo iure incidiſſe. Proptereaq́; talia omnia beneficia cõferri poſſint tanquam vacantia ab ijs, ad quos iure collatio pertinet.

Super diſſimilitudine recitandi horas canonicas, quę in Prouincia noſtra eſt, Summus Pontifex conſulatur.

Rectores beneficiorum Parochialiũ, qui ad eccleſiarum reparationem omnes ſumptus facere tenẽtur, ſiue hoc, ſiue quocunque alio nomine vocentur, aut illis prouideant ita, vt ſtatuet Ordinarius conſtituto eis ad id faciendum breui aliquo temporis ſpatio, aut Ordinarius ipſe ſequeſtratis fructibus prouideat. Ita tamen vt interea ſuperſit ipſis Rectoribus, aut quoquo alio nomine, vocatis vnde ſe alere poſſint.

DE IVDICIBVS DESIGNANDIS.

DEligat quilibet ordinarius in dioceſi ſua ſpectatę probitatis, & doctrinę viros, quibus ex pręſcripto Concilij Tridentini mãdetur notio cauſarum eccleſiaſticarum ſpiritualium, ad forum eccleſiaſticum pertinentium, in ea delegandarum.

Nos vero eidem Concilio parentes, munus, & curam denuo examinandi cauſas bonorum eccleſiaſticorum, quę his ꝓximis triginta annis alienata ſunt, deq́; ijs cognoſcendi mandamus, & committimus Reuer. Vicario Capuano, D. Io. Dominico Roſello I. V. D. Canonico Capuano D. Lelio

Lelio Sessæ V.I.D.Canonico,& Vicario Suessano,D.Marco Bolognino Primicerio Calatino.

DE MONIALIBVS ADMITTENDIS, ET EARVM PROFESSIONE.

SAcri Concilij Tridentini decreto obtemperantes mandamus,ne puella vlla,quę regularem habitum suscipere voluerit,prius admittatur,quàm duodecimū annū compleuerit,liquidoq; cognitum fuerit ab Episcopo,aut eius Vicario voluntatem ipsius plane liberam,& sponte susceptā esse, neque vim, aut metum,neque dolum,ac fraudulentas blanditias interuenisse: quę vtraque si adfuerint,neque vllum aliud canonicū impedimētum obstiterit, ex decreto eiusdem Tridentini Concilij cap. 17.Sess.25.Ordinarij,aut eius Vicarij cognitione, & arbitrio admitti poterit.

Ad professionem autem emittendam nulla admittatur, quę sextum decimum annum non expleuerit, quęq; saltem annum vnum post habitum susceptum in probatione non fuerit.

Si qua antea professa erit,professio ipsa nulla sit, nullūq; producat effectum. Neque prius emittatur professio,quàm Ordinarius, aut eius Vicarius diligenter explorauerit, num libera sit puellę voluntas, cui rei vt diligenter operam dare possit, teneatur pręfecta monasterij certiorem eum facere mense vno antea.Nisi fecerit,suspendatur ad tempus ab officio ipsius ordinarij,aut eius Vicarij arbitratu.

Emissa autem professione nemini monialium liceat etiā ad breue tempus e monasterio exire, nisi ex legitima causa Ordinario,aut eius Vicario probata,& exeundi facultate ab eorum alterutro data,ac scriptis comprehensa. Si qua secus

fecerit,aut pœna carceris ad tempus,aut alia,Ordinarij arbi tratu, plectetur.

Poteſt Ordinarius permittere,vt a conſanguineis, & affinibus alicuius monialis quippiam ei dono detur, dummodo id totum tradatur in manus Abbatiſſę, quę ex eo primum prouidebit neceſſitatibus illius. cui datũ erit reliquũ, ſi quod erit, in vſus monaſterij conuertetur.

Idem etiam intelligatur de mercede,ſi qua debebitur alicui moniali ob aliquid,quod manibus ſuis elaborauerit.

Nulli prorſus, neque laico, neque clerico cuiuſcunquę gradus,etiam ſi alicuius Monaſterij monialium gubernator ſit,liceat in ipſius Monaſterij ſepta ingredi,niſi eius rei facul tatem ſcripto comprehenſam prius ab Ordinario eiuſúe Vicario obtinuerit.Si quid ſecus factum erit, excõmunicatio, in quam ipſo facto incurrat,pœna eſto.

In ipſa Monaſteria a Gubernatoribus inſcia pręfecta nihil immitti liceat.

DE BLASPHEMIA.

Deteſtabile Blasphemię vitiũ, cui & diuina, & imperiali lege capitis pœna propoſita eſt, a prouincia noſtra exterminare cupientes, hęc ſtatuimus,inhęrentes ſacro Concilio Lateranenſi, & conſtitutioni S. D. N. PII Papę Quinti ſuper ea re editę,vt ſi clericus (quod abſit) Sanctum Dei, ac Chriſti eiuſúe matris nomen blasphemauerit,pro prima vice multetur fructibus vnius anni omniũ beneficiorũ ſuorũ. Quod ſi denuo idem feciſſe cõuictus ſit,omnibus beneficijs exuatur. Si tertio,omnibus etiã dignitatibus ſpoliatus deponatur, & in exiliũ mittatur.Quod ſi is ſit,qui nullũ beneficium obtineat, pro prima quidẽ vice arbitratu Ordinarij, aut pecuniaria,

pecuniaria,aut corporalis ab eo pœna exigatur, Pro ſecunda eiuſdem arbitratu, afficiatur pœna carceris, Pro tertia ſollemniter degradetur, & ordinarij (vt dictum eſt) arbitratu ad triremes relegetur.

At laicus,ſi quidem nobilis fuerit, pro prima vice viginti quinque ducatis, Pro ſecunda, quinquaginta, Pro tertia, centum ducatis multetur: & prętere a Ordinarij arbitratu ad tempus exulet.

Pecunię, quę hoc nomine exigetur,tertia pars ad executores officiales perueniet: reliquum pijs locis Ordinariorum arbitrio applicetur.

Quod ſi ignobilis fuerit,& non ſoluendo, ne inopia ſua pœnam eludere ſe poſſe confidat, pro prima vice manibus poſt tergum reuinctis ad oſtium eccleſię per diem integrũ ſtare cogetur: pro ſecunda,fuſtibus per Ciuitatem verberabitur: pro tertia, publice perforabitur ei lingua,& ad triremes arbitratu Ordinarij relegabitur.

Qui ſanctos,ſanctasúe Dei blaſphemauerit,pro qualitate blaſphemię,& perſonę, eiuſdem arbitratu punietur.

DE INCANTATIONIBVS, ET SORTILEGIIS.

VT Maleficorum,incantatorum,& ſortilegorum impijs artibus,quę ſępe numero etiam hęreſim olent, obuiā eatur,ſtatuimus,vt clerici quidem,ſi qui ſe forte quoquo modo eo crimine obſtrinxerint,ſollemniter degradati, atque omnibus beneficijs exuti, in carcerem prętere a detrudantur,ibiq; arbitratu Ordinarij pœnas luant: Laici autem pro commiſſi atrocitate, & qualitate perſonarum,aut pecuniariis pœnis, in eos qui ſupradicti ſunt,vſus conuertendis, aut etiam corporalibus coerceantur: quod ſi etiam abuſus

rerum ſacrarum,aut dęmonum inuocatio interuenerit, tanto ſeuerius in eos, qui id fecerint,animaduertatur.

DE VSVRIS.

VT inexplebilis fœneratorum auiditas pœna aliqua comprimatur, ſtatuimus,ut quicunque clericus in quocunque contractu, aut negotio uſuram aliquam cõmiſerit,pœna ſuſpenſionis,ac pecuniaria,uel carcerum, Ordinarij arbitrio,pro modo delicti puniatur: Laici autem eiuſdem criminis conuicti notentur infamia, multentur amiſſione eius rei,aut quantitatis, ſuper qua contraxerint, eaq́; res,aut quantitas piis uſibus applicetur.Imponantur etiam eis alię pœnę pecuniarię, ut ordinario uidebitur, pro modo delicti in eoſdem uſus conuertendæ. Idq́; ultra reſtitutionem faciendã parti læſę.Declaramus autem etiã Notarios,qui uſuraria inſtrumenta cõficiunt,iiſdem pœnis teneri.

DE SACRILEGIO.

SI qui Sacrilegi comperti fuerint, pœnis Canonum ſubiiciantur.

Si qua alia Epiſcopis corrigenda videbuntur,pro ſua prudentia corrigant, omneſq́; ſtudium ſuum conferant ad radices vitiorum ita elidendas,vt denuo pullulare nõ poſſint.

DE FVNERIBVS, ET ALIIS QVIBVSDAM AD MORTVOS PERTINENTIBVS.

QVod ab pompam funebrem attinet,Vetamus,ne pręfinitum vllũ pretiũ ſit pro viaticis,pro ſepultura,pro pulſa-

pulſatione maiorũ,minorumúe campanarum, pro diuer ſis crucis inſignibus,pro culcitris mortuorũ : pro panno, quo feretrũ operitur; ſimilibusúe rebus deferendis,aut agendis. Ita tamen vt nõ tollamus honeſtã, & probatam conſuetudinem,condito iam corpore,accipiendi aliquid pro exequijs, quod etiã corã ordinario ab ijs,ad quospertinet,peti poſſit.

Capſæ omnes muris eccleſiarum affixæ,ſeu alia mortuorũm depoſita, aut cadauerum conditoria ſupra terram extantia,ornatumq́; , aut debitum vſum eccleſiæ , vel capellæ impedientia,& earum omnis generis apparatus, & ornatus profanus infra menſem a die publicationis pręſentis Synodi ſub excommunicationis pœna tollantur,& oſſa mortuorum,ac cineres in ſacro loco ſubtus terram collocentur.Ita, vt ſepulturę lapides ſolo æquentur. Talia autem deinceps poni,& fieri omnino Ordinarij non permittant.

Cum multis in locis Capuanę Prouincię noſtrę extiterit, extetq́; hodie inueterata,& ſupra hominum memoriã conſuetudo,qua decedentibus ab inteſtato ciuibus,ſeu incolis, atque etiam Peregrinis, quarundam eccleſiarum Capitula , vel ipſarum Canonici, ſeu alij,etiã in eccleſiaſtica dignitate conſtituti,ac forſan Epiſcopi eiſdem defunctis teſtamenta condebant, hęreditatiſq́; iacentis partem hęredibus ab inteſtato adſcribebant, necnon etiam partem aliquam Eccleſię,vel pauperibus Chriſti,ſeu etiam ſibi ipſis relinquebant: nullis vero eorundẽ ab inteſtato decedentiũ cõpertis hęredibus de bonis ipſis omnibus arbitrio ſuo diſponebant: Nos cupientes immemorabilem hanc conſuetudinem,& diſponendi de bonis huiuſmodi liberã facultatẽ,in melius quantum cum Deo poſſumus,commutare: Statuimus,ne jis,qui inteſtati decedunt, teſtamenta, alięúe exactiones aduerſum